



Quotidiana Christiani Militis Tesseræ

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

7. Dies Julii. Time, cùm arriserit Gratia; time, cùm abierit; time, cùm denuò revertetur, S. Bernard. serm. 54. in Cant.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

7. DIES JULII.

Time, cùm arriserit Gratia; time, cùm abierit; time, cùm denuò revertetur,
S. Bernard. serm. 54. in Cant.

Timendum I.
 & cum gra-
 tia, & sine
 gratia.

ECce hîc pro tribus punctis tri-
 plicem timorem. Triplicem
 priùs timendi causam ex S.
 Bernardo accipe: (a) *Gratia*
cùm adest, time, ne non digne opereris ex ea; nam hoc
monet Apostolus: Videte, ne in vacuum gratiam Dei
recipiatis. O si non nesciremus, quantum insit mo-
 menti cuilibet temporis momento, ad incrementum
 gratiæ, & augmentum gloriæ! nullum efflueret tem-
 poris punctum vacuum aliquo virtutis exercitio:
 quælibet respiratio oris, esset ad Deum aspiratio cor-
 dis. Si sciremus, quanta nobis sit promissa merces:
 vel semel ex præscripto virtutis agentibus; foret in-
 tolerandum nobis, cùm possemus centum virtutis
 opera exercere, unius nobis copiam eripi: & quod
 consequens est; accessionem gratiæ illi responsuram.
 Non multum à te petitur; ut sis optimus, tantum
 imitare pessimum, hoc est, hominem avatum: fac
 tantum pro augenda gratia, quantum ille pro ac-
 cumulanda pecunia: pudeat te non facere pro Dei
 domicilio, quod facit avarus pro uno obulo. Nō plus
 à te poscitur pro magna gratia, & gloria, quàm quod
 ultrò peccator molitur pro vitio, & tartaro. Esto cum
 laude; imò cum lucro avarus gratiæ, & attentus lucris
 cælestibus,

(a) 1. Cor. 6.

cælestibus, sint tibi quælibet temporis feræ, virtutis comparandæ nundinæ. Nunc dies est salutis, potes beneficio gratiæ te salvare. Veniet nox, quando non licebit negotiari. Time ergò, ne si modò negligas negotiari, ante ipsam noctem, veniar tibi illa nox, quæ tibi nolenti cum gratia operari, nihil superfit, quam æternum cruciari.

II. Non modò timendum, cùm gratia ariserit, sed cùm abierit. Rationem excitato Bernardo accipe: *Si recesserit, multò magis timendum est: quia ubi tunc deficit gratia, ibi deficit tu. Time ergò, substralla gratiæ, tanquam mox casurus.* Quis in tam misero statu non timeat à casu? qui non timeat ab eo remotus, qui solus potest amovere omnia timenda? quis non horreat, cùm in pectore habeat, & foveat, quod est horribilium, horribilissimum peccatum? Fors primum, quod committes scelus, erit ultimum, quo mensuram impleas scelerum? Sicut enim divina Justitia certam singulis Regnis, Provinciis, urbibus constituit mensuram, certo numero, gravitate peccatorum definitam; quâ impleta, in vindictam exurgit bello, fame, peste, alio vè modo inferendam; ita & singulis hominibus terminum posuit, & annorum, & peccatorum. Quæ porrò sit illa mensura, illi soli exploratum est, qui omnia disposuit in numero, pondere & mensurâ. Qui ergò in primo peccato poterat justè deserere, cur injustus erit, si te deserat in millesimo? Tu cupis perire, quid mirum, si deserat perire cupientem? Quid facit Deus? an semper patriatur se contemni? ut jam non putetur esse amplius Deus, qui scelerum judex, & sceleratorum sit vindex? Clamat ejus justitia, clamant Angeli de cælo, clamant

Julius.

Tessera.

525

inmant cacodæmones ex orco; clamant, qui injuriam
sustinent in terris: (a) *Exurgat Deus, & dissipentur
inimici ejus.* Quid mirum, si audiat has voces? si in
inimicos suos exurgat, & in eos exardescat? Time er-
gò, remotâ à te gratiâ, quia tunc propinqua tibi est
justitia.

III. Nec solùm formidabilis tibi sit gratiæ à te
abitus; sed ejusdem ad te reditus. Audi ejusdem Ber-
nardi rationem: *Jam si gratia repropitiata redierit,*
multò amplius timendum, ne forè contingat recidi-
vam pati. Qui sæpè relabuntur in easdem, easq; mor-
tiferas noxas; hoc habent metuere, ne non possint,
in ultimo vitæ periculo, emergere è luto. Quomodo
seriò volet, omnia illa esse abolita peccata, quorum
propè necessitatem induxit diuturna consuetudo?
Quod si dixeris te vadum non posse tranare mane,
cùm aqua adhuc exigua est: vel peti, cùm alveus ple-
nus est, & flumen instar maris exundat, quomodo
tranare poteris? Si tibi difficile videatur, novellam
adhuc vitiorum plantam eradicare; quid facies, ubi
profundissimas radices egerit? Quis tibi promittet
victoriam contra mille peccata, qui jam prosterne-
ris ab unico peccato? Cassus est labor, & spes inanis;
cùm homo, totâ antea ctâ vitâ, immanium pondere
criminum jacuit suppressus, consurgere velle jam
hinc exiturum, & tunc velle bene vivere, dum desi-
nendum est vivere. Nimis, quàm verum est illud;

Quod novæ testæ capit, inveterata sapit.

8. DIES

(a) *Psal. 67. 2.*